


Heinrich Rudolph Redecker Christoph Wiegers

Disputatio Iuridica De Usucapionibus & Praescriptionibus, Germ: Verjährungen

Rostochii: Keilenbergius, 1678

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn741563789>

Druck Freier  Zugang




Eigentum des
Verfassers

RU zur 1678

Herr. Rud. Redeker, Pr.

Christoph Wiegert, Resp.

16



Disputatio Juridica
De
USUCAPIONIBUS
& PRÆSCRIPTIONIBUS,

Germ: *Verjährungen/*
Quam,

Divinâ annuente gratiâ,
PRÆSIDE

Viro Magnifico ac Consultissimo
DN. HENRICO RU-
DOLPHO *Redekern/*

Jcto Famigeratissimo, Antecessore Cele-
berrimo, Serenissimi Ducis Megapolensis Con-
siliario Intimo, nec non Consistorii Du-
calis Assessore Gravissimo,

*Domino Fautore, Hospite, ac Præceptore suo
atatem venerando,*


publico peritorum juris examini expositurus est

CHRISTOPH: WIEGERS, Hamburg.

A U T O R.

In Auditorio Majori, ad d. 13. Nov. Anno 1678.

Rostochij, Typis FRIDERICI KEILENBERGII, Acad. Typogr.



DEO
OPTIMO MAXIMO.
PATRIÆ PATRIBUS
VENERANDIS,
PATRIQUE SUO CARISSIMO.



D. D.

C. W. H.



IN NOMINE JESU.

De

Usucapionibus & Præscriptionibus.

I.



Egregium Divorum Principum,
Diocletiani & Maximiani oraculum est
in *l. 20. C. d. pact. Traditionibus & Usuca-*
pionibus transferuntur rerum dominia, non
nudis pactis. Hic versus, *verba sunt Cu-*
jacij ad h. l. multa comprehendit, & sic
parvo pondere multa vehuntur. Primò

enim hâc in *l.* innuitur ea acquisitionis species, quam Gro-
tius derivativam appellat, de quâ agit in elegantissimo de
Jure Belli & Pacis tractatu *l. 2. c. 6. & seqq.* eamq; originariæ
contradistingvit, in *d. l. 2 c. 3. vid. §. 12. Inst. & seqq. d. R. D. l. 1.*
§. 1. ff. d. A. R. D. l. 1. §. 1. d. A. P. Rursus derivativa acqui-
sitiò hic dispescitur in illam, quæ est ex lege naturæ, à genti-
bus, quasi communi hominum suffragio; & quæ ex jure ci-
vili introducta. Illa namq; fit per traditionē, si scilicet res sit
tradita à Domino, præcedente aliquâ justâ causâ acqvirendi
Dominii *§. 40. Inst. d. R. D.* Hæc vel fit ipso jure, ex pro-
visione legis, de quâ *l. 64. ff. de Furt. §. 2. Inst. de her. qual. &*
diff. t. t. C. de his qui ante apert. vel cooperante factò homi-

A

nis,

nis, quò omninò refertur Usucapio, quæ contingit, si traditio à nò Domino sit facta ex justa causa. *t. t. d. usucap.* Eodè Augustorum responso docemur, diversum esse modum acquirendi dominium, ab ipsis titulis causisq; ad transferendum dominium idoneis. Transfertur autem & acquiritur dominium derivativum non nudis pactis seu conventionibus, sed traditione & usucapione. *d. l. 20.* Quoniam verò materia Usucapionis sui naturâ difficilis est, & cognitu necessaria, operæ pretium me facturum credidi, de eâ theses quasdam, expuro jurisprudentiæ civilis fonte haustas, tanquam studiorum academicorum fructus, publicè eruditorum venerationi submittere.

2. Antequam autem rem ipsam pertractare incipiam, prius, in materiâ hâc abstrusâ, exponere erit necesse, unde nomen rei, de quâ dicetur, descendat. *arg. l. 1. ff. d. just. & jur.* Quamquam enim non verbis, sed ipsis rebus leges sint impositæ *l. 28. C. d. usur. l. 2. C. comm. de leg.* attamen cum verba sint rerum demonstrationes & notæ *l. 7. §. 2. ff. d. supell. leg.* horum prima hic habenda ratio, quoniam maximi commatis Jcti inde sententiarum divortia sumunt, uti videre licet apud *Covarr. in c. Possessor de R. Jur. in 6. p. 1.*

3. Usucapio igitur, non commune & grammaticum, sed civile; nec primitivum & simplex, sed junctum verbum est: ex usu & capere, quod est, quasi per longum usum i. e. possessionem diuturnâ aliquid capere *l. 21. 23. §. 4. ex quib. c. maj. l. 33. ff. h. t.* Nam capere hic cum effectu accipitur, & cum animo habendi tanquam remansurum; adeòq; non videtur quis capere, quod erit restitutus *l. 71. ff. d. V. S. ubi Wegner. l. 13. l. 51. ff. d. R. J.* Idemq; ex verbi etymo est, quod usu suum facere. Usus enim significat possessionem illius, quod opinione Domini detinetur *l. 115. ff. d. V. S.* Unde etiam curatiùs dicitur Usucapio quam usucapio. Nec enim,

enim sic dicitur usucapio, ut pignoris capio, cœu vult *Gellius* l. 7. *Noct. Att. c. 10.* siquidem per usucap. non possessionem, sed per possessionem ipsum dominium nobis acquirimus. *S. 5. Inst. per quas pers. l. 17. l. 18. h. t. Cujac. ad. l. 3. ff. h.*

4. Et minùs rectè Usucapio à plerisq; Dd. autoritas dicitur; quia hæc potius denotat jus domini, quod per actionem pro evictione interpretatur, quam usucapionem *Venulejus*, in l. ult. ff. d. evict. ejusdèq; opinionis est *Paulus* l. 2. *sent. tit. 17. §. 1. 3.* ubi venditor, si res emtori tradita evincatur, autoritatis manebit obnoxius. Nec verba l. XII. Tab. ibi, *adversus hostem, vel rei furtiva æterna autoritas esto.* talem interpretationem admittunt *Barn. Briffon. de V. S. h. v. Strauch. ad 50. Decis. Exerc. 2. c. 1. n. 13. 14.* Hinc *A. Gellij.* & hujus vestigia sequentium error, quem *lib. 17. c. 7.* commisit, in aperto est: cum nec lex XII. Tab. ibi: *usus & autoritas fundi biennium esto*, contrarium evincat. Nec satis accuratè jus auctoritatis pro usucapione sumit *Tholos. in Synt. Jur. l. 40. c. 1. n. 2. 7.* Rectissimè tamen inter auctoritatem, & usum auctoritatem distingvi posse putamus. Quia usus pro usucapione sumitur, & ita Synecdochicè explicatur in l. 58. §. 6. *ad Trebell. l. 19. 20. ex quib. c. maj.* Dicitur etiam simpliciter possessio in d. l. 19. longi temporis, seu diutina possessio l. 3. §. 3. d. A. P. l. ult. *pro emt. l. 15. 18. ff. h. t.* Domini capio l. 18. d. *damn. inf.* Usucapio l. 1. §. 2. *pro dot. & temporis suffragium in l. 24. ff. d. don. inter vir. & uxor.* An autem rectè legaliterq; dicatur præscriptio th. 7. videbimus.

5. Definitur Usucapio à Modestino: Adjectio Domini, per continuationem possessionis, temporis lege definiti, l. 3. ff. h. t. Quam definitionem ex *Ulpiano*, propter l. un. C. de usucap. transf. interpolatam, imò decurtatam, nec bonam esse, vult *Hortensius ad pr. b. quam.*

cenfuram subtilem potiùs, quàm necessariam putamus. Pro-
vocula adjectionis *Ulpian. in fragm. t. 19. legit adeptionem,*
quam lectionem etiam probat *Isidor. Orig. l. 5. c. 25. Cujac.*
in l. 3. ff. b. t. & in notis ad Ulpian. d. l. Bachov. ad Wes. Bor-
cholt. & Hotom. ad rubr. Inst. b. t. Ceterum definitionem,
Modestini nobiscum retinent Wes. h. t. n. 4. Cont. lib. 1. Disp.
10. Harpr. Ravard. Frantzk. & alii: Quia dominium non ac-
quiritur à tradente, sed adjicitur accipienti tractu temporis
per legem. arg. l. 24. ff. d. don. int. vir. & uxor. Frantzk. ad
pr. Inst. h. t. Donell. lib. 5. comm. 5. Forn. 2. select. 17. adeoq;
paulatim, & latenter illud quasi nobis adjicitur, pariter ac
in alluvione accidit, ubi aliquid fundo nostro ita insensibi-
liter accedit, ut intelligi non possit, quantum quoqvo tem-
pore & singulis diebus nobis accrescat augmentum arg. §.
20. Inst. d. R. D. Ceterum posse per adeptionem æqvè ac
per adjectionem definiri usucapionem asserimus, diverso
tamen considerandi modo. Dicitur enim Adeptio, si eam
factam & legitimè absolutam consideremus: Adjectio au-
tem habito respectu ad eum, qui possessionem rei, b. f. par-
tam, sine usurpatione continuat. Harpr. ad rubr. Inst. n. 7.
Arum. Ex. 6. th. 2. Hill. ad Don. lib. 5. c. 5. Et ita dicitur quis
usucapere toto illo tempore, quo possidere rem cū effectu
cepit; quando autē tempora usucapiendi implevit, usucepis-
se, arg. §. 4. Inst. de act. Card. Lugo de I. & L. D. 1. S. 1. n. 2.
proinde distingvendum est inter actum usucapiendi & effe-
ctum usucapionis Covarr. d. l. n. 1.

6. Hisce circa usucapionis vocem, ejusq; definitio-
nem, notatis, nunc transeamus ad alteram tituli partem,
scil: verbum *prescriptionis*, quod non Grammaticæ tantum,
sed forensis etiam significationis est. *Giphon. ad Rubr. Inst.*
b. t. vulgò enim præscribere idem est, quod præstituerere aut
præfinire l. 28. §. 8. d. liber. leg. l. 11. d. excus. tut. l. 27. ad L.

Fal-

Falcid. Briffon. b. v. Juridicè autem præscriptio modò denotat solennem apud argentarios factam scripturam *Giph. ad tit. Inst. d. lit. obl.* frequentius tamen quamvis exceptionem, quâ reus agentem repellit *l. 7. qui satis d. cog. l. 91. d. solut. Rubr. ff. de exc. & præscr.* In specie verò accipitur pro illâ exceptionis specie, quâ possessori, propter temporis suffragium, ex legis dispositione tribuitur defensio, vocaturq; temporis seu temporalis præscriptio. *rubr. ff. de div. & tempor. præscr. & rubr. C. d. præscr. long. tempor. cum seqq. l. fin. C. d. exc. Covarr. in c. Possess. p. 1. n. 1. in fin. & n. 4.* Græcè παραγραφή *Nov. 131. c. 6.* & ita eleganter definitur: **Exceptio ex tempore, LL. definito, substantiam capiens** *Did. Covarr. in c. Possessor d. R. I. in 6to. n. 4.* vel: **Exceptio ex certi temporis possessione competens, Definitore** *Pacio in Isag. C. d. præscr. l. t. Parlad. l. 1. Rer. Quot. §. 1. n. 3. & seqq.*

7. An autem hodiè ita inter se sint exæqvata præscriptionis & usucapionis jura, ut nomina promiscuè usurpari queant, magnus inter jurisprudentes conflictus est, plurimi Dd. id evincere conantur, per *l. un. C. d. usucap. transf.* Quibus etiam assentitur *Pacius d. t. n. 1. 3.* ubi distingvit inter præscriptionem cum titulo & sine titulo, vel, quod idem est, inter præscriptionem rei & temporis; illamq; speciem usucapionis seu ipsam usucapionem transformatam asserens, hanc exceptionis nomen retinere dicit. Nos quamvis haud facilè à *Pacio, tanquam consummatissimo & accuratissimo Jeto,* discedamus, hic tamen divortium ab ejus opinione facere tenemur, quia in *d. l. un.* id nequicquam probatur. Nec tamen illorum sententiam probamus, qui in eo sensu non reperiri hoc verbū in jure civili volunt ut *Joh. à Lugo d. I. & I. D. 7. S. 1. n. 1. Chaff. in Consuet. Burg. Rubr. 13. §. 19. per l. 2. C. in qu. c. cess. l. t. præscr.* Cum contrarium probetur

§. 5. *Inst. per quas pers. cuiq; acq. l. 21. ff. h. l. § 4. de evict. l. 5. C. fin. reg. auth. qvas actiones C. d. sacros. eccles. qv od idem ex rubr. Inst. patet, nisi qvis, cum Theoph. Cujac. Ruffand. & aliis, ibi malit substituere verbum possessionis, qvam tamen lectionem Excell. Dn. PRÆSES in Exam. Juris ad Inst. h. t. tum, qvia possessio est præscriptionis causa, tum, qvia illa lectio firmatur ex §. 5. *Inst. per quas pers. cuiq; acq. l. 21. ff. de Usuc. & rubr. C. d. præscript. l. t. probabiliter improbat.**

8. Uti autem de jure civili præscriptionis vox non nisi figuratè & metonymicè pro usu capione sumitur, quoniam propriè loqvendo ex illa fluit tanqvam causa ab effectu Covarr. & Parlad. d. l. ita Decretales Pontificum, præprimis Bonifacij, propriè & frequentissimè præscriptionis verbo usu capionem denotant per c. possessor d. R. J. in 6to t. t. de præscr. in 6to. & hæc vocis significatio adeò usu in valuit, ut hodiè non tantum stylo curiæ, sed & locorum statutis idem obtineat, uti videre est ex *statutis Hamb. p. 1. t. 21.* Quamvis enim rubrica dicti tituli tantum de exceptione præscriptionis agere videatur, attamen ipse textus aliud evincit, qv od sc. ibidem non tantum de præscriptione s. exceptione temporis, sed etiam de acquisitione rerum corporalium & incorporalium agatur. Qv od idem jus Lubec. p. 1. tit. 8. demonstrat. Diciturq; Germ. *Verjährung* / *Const. Sax. p. 2. c. 3. d. d. t. t. Hamb. & Lüb. Stat.*

9. Quoniam autem famosa illa *l. un. C. de Usuc. transf.* nimium quantùm Jurisprudentum ingenia exercet, nec minus ad veram hujus materiæ explicationem egregiè confert, operæ pretium videtur, genuinum ejus sensum eruere: Qvinqve autè ex hæc lege præcipuè sunt notanda (1) qv od Justiniano visum fuerit *inutile*, occasione juris Qviritorium, usucapionè in Italicis soli rebus admittere, in provincialibus autem recludere *d. l. princ. (2) inhumanè*, à bouâ fide possidente,

dente, nescientem & absentem dominum intra biennium excludi & possessionibus cadere *d. l. §. 1.* (3) Sicuti ergo annalem exceptionem, ita etiam usucapionem transformavit, ut decem, vel viginti, vel triginta annorum, & aliarum exceptionum tempora currant *d. l. §. 2.* ubi, quod probè notandum, usucapionem & annalem exceptionem distingvit, non autem confundit. (4) Usucapionem rerum mobilium, quæ olim, in quâcunq; terrâ, annali tempore concludebatur, triennio, immobilium autem decennio vel vicennio determinavit, ita ut antecessoris possessio non interrupta, in successore, scientiam rei alienæ habente, continetur. Et ita ampliata quidem est per h. l. longi temporis materia, & minuta usucapionum compendiosa jactura, neutiq; tamen transfusa & transformata est usucapionum & præscriptionum natura *d. l. §. 3.* (5) antiquata est rerum mancipi & nec mancipi differentia *d. l. in fin.* Quoniam autem verba ex usu valent, neutiq; cottidianum loquendi modum & stylum curiæ, quo præscriptio & usucapio synonymicè sumuntur, improbo, *arg. l. 7. §. 2. de Supell. leg. cum & Patriæ leges moresq; id velint Carpz. ad Const. Sax. p. 1. const. 25. Mev. ad Jus Lub. p. 1. t. 8. ad Rubr. n. 7. in fin.*

10. Ceterum cum ex superioribus satis superq; constet, quod ex usucapione in specie dictâ justum, legitimû, pariter ac directum oriatur dominium, *l. 20. C. d. pact. l. 1. l. 3. ff. d. usucap. l. 20. ex quib. caus. maj. l. 1. 2. d. publ. in rem act. l. 24. C. d. R. V. l. 1. ff. si ag. vect.* ex opposito parili fundamento probabitur, præscriptionem temporalem exceptionem possessori tribuere *l. 9. 12. d. div. temp. præscr. l. in. C. d. præscr. 30. ann. auth. nisi C. d. bon. matern.* hinc inaperto est, possessionem temporis, lege definiti, modò tribuere dominium per modum usucapiendi, modò de-

fen-

fensionem per modum excipiendi *l. 3. d. di. temp. prescr.*
l. 8. C. d. prescr. 30. ann. Hinc Dd. solliciti inter se sunt, quæ-
 nam inter usucapionem & longam possessionem vel fue-
 rint olim, vel hodiernum sint differentia; Siquidem 1. aliam
 desumunt à tempore, quod illa sit anni vel biennii *Ulp.*
in fragm. tit. 19. §. 8. possessio autem longa 10. 20. vel plu-
 rium annorum *Paul. l. 5. sent. tit. 2. l. un. C. d. usucap. transf.*
 2. aliam ab origine, quod illa *ex l. 12. Tab.* hæc ex consti-
 tutionibus Principum descendat. 3. Ab objecto, quo illa
 duntaxat sit rerum mobilium & immobilium *Ulp. d. 1. 9.*
l. 18. 23. 31. ff. d. usucap. §. 3. Inst. eod. hæc rerum soli præci-
 pue *l. 2. C. in quib. caus. cess. & incorporalium etiam l. 10. ff.*
si seruit. vind. l. 43. §. 1. d. A. R. D. l. 9. d. usucap. 4. à loco,
 quod illa tantum fuerit prædiorum Italicorum, hæc et-
 iam provincialium *d. l. un. C. & l. 2. C. quib. non objic. l. 1.*
prescr. 5. à formâ, quod illa titulum, hæc non item, sed
 possessionis prolixitatem tantum requirat. 6. ab effectu pri-
 mo, quod illa non interrumpatur L. C. hæc autem omnino.
 7. ab effectu secundo, quo illa actionem directam, hæc
 utilem parere dicatur: de quibus infra dispiciendum &
 convenienti loco respondendum erit.

II. Nunc opus erit advertere & penitius examinare quo
 jure Usucapio sit introducta? Eam, quod ad originem & re-
 spectu initii juri Gentium, quo dominia rerum distincta di-
 cuntur *l. 5. de I. & I. ascribo.* Quicquid etiam in contrarium
 disputent magni nominis Doctores, inter quos *Uasquius*
controv. illustr. l. 2. c. 51. §. 23. & seqq. qui omnem usucapi-
 onis præscriptionisq; vim & autoritatem ex uno civili &
 positivo jure manare autumant. Imo *Cujacius ad l. 1. ff.*
b. 1. eam cum jure Gentium pugnare dicit. His autem
 præprimis ducor rationibus: Primò, quia & aliæ gen-
 tes moratiores eam usurparunt, præsertim Hebræi & Græ-
 ci, vid.

ci, vid. Plat. 12. de legib. Hugo Grot. l. 2. c. 4. ubi Bocler. & Ziegl. Arnif. d. Rep. l. 1. c. 4. Deinde, quia causæ & rationes impulsivæ, de quibus *ib. seqq.* ex jure Gentium fluunt. Accedit, quod distinctionem dominiorum jus naturale, si ve Gentium produxerit §. 11. *Inst. d. R. D. l. 1. ff. d. A. R. D.* & quidē præcipuè ad vitandam confusionem & indè proventura mala litiumve multiplicationem. Hanc distinctionem igitur cum sustentet usucapio, videtur, uti eadem utilitate & necessitate, ita & eodem jure cum factâ distinctione prodisse, ne rerum possessiones incerto fluctuarent argumento. Hæc itaq; temporis prærogativa, metum futuræ litis & metuendæ confusionis planè tollit, & de dominio certiore facit *Hugo de Roy de eo quod justum l. 3. tit. 4. n. 8.* Deniq; ex sententiâ contrariâ sequeretur, jus usucapiendi non habere locum inter duos populos liberos aut reges, populumve liberum & regem, qui jure Civili Romanorum non utuntur, quod communi juri Gentium repugnare affirmat *Grotius de jure B. et P. l. 2. c. 4.* cum multò maximi referat, ut controversiæ de regnis & provinciarum possessionibus, quoad fieri potest, sopiantur, quibus nullæ aliæ sunt movendo orbi, & publicæ tranquillitati perturbandæ potiores. Hinc apud omnes gentes confessum, possessiones publicas non minùs quàm privatas multo tempore ita firmari, ut revelli nequeant *verba sunt Conringij, magni nominis Viri, tract. de Imper. Rom. Germ. Nec §. ult. Inst. de usu. & hab. nec pr. de usucap. in contrarium movet, quoniam ibi non de origine usucapionis, sed de requisitis legalibus agit, nec de formâ simplici, sed qualificatâ, & per leges ordinatâ.*

12. Neq; usucapionem æquitati & justitiæ minùs naturali juri adversari putem, quasi dominium priori domino auferat ignoranti & invito. Regero etenim, publicam

B

sem-

semper utilitatem privatam præferri æqvissimum esse. Hic enim, si quis subesset iniquitatis color contra singulos, utilitate publicâ rependitur *Tacit. l. 14. Ann. c. 44.* Ad publicam autem utilitatem & tranquillitatem maximè confert, proprietatem ejusq; certam esse & lites extingvi. Uti itaque Usucapionem ipsa defendit æqvitas, secus ac sentit *Sutbolt. D. 6. th. 4.* quam æqvitatem appellat legalem *Vaconius à Vacuna Declarat. 46.* quia à legibus determinata est: nos ulterius progressuri illam non à civili tantum, sed & à naturali quoq; æqvitate sustineri contendimus, fundamentum ejus in præsumtâ & tacitâ prioris domini voluntate ponentes. Dum enim is in rem suam per tantum temporis spatium, quod leges utilitate & tranquillitate publicâ svadente definiuerunt, non inquirat, quid non censeatur dereliquisse & alienasse? *l. 28. ff. d. V. S.* Sic & qui non utendo amisit servitutem, eum alienare dicimus. *d. l. 28.* Nihil autem tam conveniens est naturali æqvitati, quam voluntatem domini, sive expressa illa sit, sive tacita, rem transferre volentis, ratam haberi, quæ rati habitio ex taciturnitate & negligentia domini assistente lege colligitur.

13. Ex prædictis itaq; sequitur per usucapionem jus naturæ s. naturalem æqvitatem nullo modo esse violatam. Esto! quod Usucapio non sit ex simplici dictamine rationis, vel merâ æqvitate naturali, attamen rectissimè dicitur, esse eam secundum æqvitatem naturalem. Nec contra sentientes quicquam juvat allegasse *Nov. 9. præf.* quâ illam Justinianus Imp. impium vocat præsidium. Illa namq; constitutio, eam si haud suspectam asseramus, vel materiæ vel formæ vitium respicit, adeoq; intelligenda erit de rebus, quas usucapere fas non est, puta, rebus ecclesiæ; aut vero de malæ fidei possessoribus, quos nullum jus, nulla æqvitas tuetur. Quam interpretationem ipsa constitutionis verba videntur

dentur flagitare, quæ mentionem faciunt iniquorum hominum: aut deniq; Novella hæc accipi quidem potest de b. f. possessoribus, illis tamen qui allegatione temporis, à legibus præscripti possessionem suam justificare nequeunt.

14. Neq; porro sacris literis, aut jure divino usucapionem interdictam reperimus, illo potius jure confirmata est, quod variis textibus probamus. *Levit. c. 25. v. 29. § 30. Jud. 11. v. 26. Maccab. 15. v. 33. vid. Hugo de Roy d. l. n. 9. 10.* Minus adhuc dubitamus de approbatione juris Canonici per t. t. X. de præscr. c. 2. 3. d. R. I. in 6to.

15. Et quamvis ex anterioribus abundè constet, quo jure, quibusve rationibus usucapio & præscriptio sustineantur; attamen ad rem facere videtur, si causæ impellentes, seu rationes legis latorum, quæ in omni lege præprimis attendendæ sunt, uno Schemate exhibeantur.

16. Prima ratio ex rebus ipsis firmamentum habet. Futurum enim esset, ut dum de optimè etiam quæsitis possessoribus securus esse non possit, res negligenter, agri & fundi non colerentur, & pleraq; hominum commercia subverterentur. Quis etenim cum altero contahere, quis ab altero emere vellet, si post longam annorum prolixitatem negotia ritè contracta rescinderentur, cum nec ab evictione satis præsidii cuiquam accedat, quoniam post illa temporis spatia mortalium cursus illam facilè impedirent. Quod ex Boclero innuit Puffendorffius l. 4. c. 12. §. 5. d. I. N. G. & ante hosce eleganter Tholosanus in Syntag. Jur. l. 40. c. 10. Rectè itaq; Ictus Paulus in l. 1. ff. h. t. bono publico introducta est usucapio, inquit, ne rerum dominia sint incerta. Secunda ratio personas respicit. Nam cum leges odio prosequantur negligentes & desides, rerum amissione puniunt illos, qui per præfinitum temporis spatium sua non repetunt, d. l. 1. l. 2. C. d. ann. exc. l. fin. C. depos. junctâ l. 28. d. V. S. cum in

perpetuum ipsis indulgeri non sit necesse, & publicè inter-
sit, ne quis res sua malè utatur §. *ult. Inst. de his qui sui vel al.*
Hinc Hugo de Roy l. 3. c. 3. 4. præcipuum usucapionis funda-
mentum in eo ponit, quod, uti olim Soloni negligentia in
delicto fuit; ita hodiè fontium numero reputentur, qui res
suas usucapi patiuntur. *Tholos. syntag. jur. d. l. n. 2.* Tertia ratio
fundatur in negotiorum utilitate, ut aliquis litium finis es-
set l. *ult. ff. pro suo.* Quas citissimè aboleri maximi refert,
l. *properandum C. de Judicijs. vid. Stat. Hamb. p. 1. t. 21. art. 2.*

17. Jam de personis. De quibus generalis regula:
Illas posse usucapere, quæ possidere l. 3. 25. ff. *b. t.* nec refert
sive sint patres. sive filii. Dummodò in his discreta ha-
beatur ratio ex §. 1. 2. *Inst. per quas pers. jung. l. 4. ht.* Quo-
modo itidem per servos dominis usucapio accidat, liquet ex
§. 3. 4. d. *t.* Nectantum singulorum jus id permittit, sed &
personæ mysticæ, uti sunt: Respublicæ, & Universitates,
usucapiendi facultatem habent; quia in rerum acquisitio-
nibus privatorum loco habentur l. 10. ff. *ad municip. l. 16.*
de V. S.

18. Prohibètur verò usucapere naturâ, furiosus, quia nul-
lum possidendi affectum habet, &, qui furioso comparatur,
infans §. 9. *Inst. d. inut. stip.* Hic tamen, tutore autore, recte
possidet, ille, nec curatore autore. Juris diversitatem tra-
dit Cujac. ad l. 4. ff. *de usucap.* Quod si ante furorem incepit
possidere, illo superveniente, nihilominus implet usucapi-
onem, ne sc. langvor animi damnum etiam bonis afferat
l. 4. §. 3. l. 44. ff. *d. t.* Lege olim usucapere non poterant pe-
regrini, quorum tamen status jam immutatus est ex Const.
Imp. Antonini. Nec Servi: hi enim cum possideantur, possi-
dere non videntur l. 118. d. *R. I.* neque deportati §. 2. *Inst. de*
cap. dem. Hodiè banniti & proscripti imperii, cum mediam
capitis deminutionem patiantur *Dn. Pres. Exam. 4. q. 40.*

Et

Et uti præcario i. e. alieno nomine possidens non potest usucapere rem, quam tenet, nec longissimo tempore præscribere l. 2. C. de præscr. 30. l. 40. an. Ita etiam fur non potest usucapere, nec is, qui vi alicujus possessionem invalit §. 2. Instit. b. t.

19. Ceterum, an is, qui vi superiori, & jure armorum, quem Philosophi Tyrannum vocant, imperium in liberum populum, quem solo metu coercet, ita ut nec probetur, nec præsumatur illum superioris potestati consensisse, usucapere possit, inter Politicos & Scholasticæ Philosophiæ Dd. disceatur. Et negantium opinio validis argumentis fulcitur, tum, quia apud Romanos vi possessorum rerum L. Julia & Plautia inhibebat §. 2. 3. Inst. d. t. tum, quod omnia justæ præscriptionis requisita, de quibus *th. seqq.* deficiunt, tum, quia usucapio, quæ per vim usurpata præsumitur, non potest æqui bonique jus tribuere, nisi quatenus longissimi temporis possessio, & tacita imperii approbatio præsumtionem liberi consensus pariat. *Leonh. Leß. d. I. §. I. lib. 2. c. 5. Dub. 8. in fin. junge th. 31.*

20. Neque etiam juris præsidium ex possessione sperare potest is, qui errat l. 7. C. de agric. & cens. vel, quia bonâ fide non videtur possidere, vel, quia per se in jure erranti non procedit usucapio l. 31. 32. ff. de usuc. quod tamen non de ignorantia inculpatâ, sed eâ, quæ juris dicitur, accipiendum est l. 4. 8. 9. ff. de jur. & fact. ign. nisi error sit juris dubii. Ille enim ad inculpatam refertur ignorantiam *Gloß. ad l. 32. ff. b. t. Leß. d. l. Dub. 5. l. 15.* & ita sæpè plus valet res ipsa, quam error facti l. 2. §. 2. ff. pro emt. *Cujac. ad l. 32. b. t.* Imò error juris bonam f. præsumtivè ex longissimo tempore inducit ad illam præscriptionem, quæ titulum non requirit, idque non tantum de jure civili l. 6. C. de præscr. 30. an. sed etiam jure Canon. quia ex tali temporis prolixitate præ-

scribens, bonam f. ab initio habuisse præsumitur. Uti contra *Molinam* disputat *Lesius d. l. Dub. 5. n. 17.* junge *Covarr. ad reg. Possessor p. 2. §. 7. n. 5. & seq.*

21. Jam ex oppositorum ratione videndum est, quibus nec usucapio, nec præscriptio noceat. Hinc tutissima juris regula se omnium primo ostendit, quâ, non valenti agere, nulla currit præscriptio *l. 1. C. de ann. exc. auth. nisi C. de bon. mat. ubi Gl. C. I. A. b. th. ult.* dummodo tale sit impedimentum, quod inhabilitat personam ad agendum, adeoque impedimentum sit juris, non facti *Gomez ad §. rursus Inst. de act. n. 14. Tabor. ax. 3. de præscr. eamq; ipsa natura & ratio omnibus præscriptionibus indidit. Mascard. de gen. stat. interpr.* Proinde dura videtur ratio juris *Lübecensis*, quo vindiciæ illi denegantur domino, cujus servus fugitivus, illo ignorante, per annum & diem jus civitatis ibidem habuit *lib. 1. tit. 3. art. 3.* Cum hujusmodi glebæ addicti, quos hodiè proprios homines, Germ. *Leibeigene/eigē Mäner* & in hâc, vicinisq; Provinciis *Unterhanē* vocam9, aufugientes sui quasi fures, acriter potius puniendi, quàm libertate & civitatis Imperii jure donandi sunt *arg. l. 2. de serv. fug. cum malæ fidei possessor ullo tempore non possit præscribere c. fin. de Præscr. minùs servus fugitivus libertatem ex temporis lapsu acquirere l. 1. C. de præscript. quæ pro libert. l. 22. §. 1. C. de agric. & censf. Mey. adjus Lübec. d. art. 3. n. 3. & seqq.* adeoque nec illi vel usus obstabit auctoritas, vel præscriptionis præsidium, qui negligentia non potest argui, minùs ejus poenæ, quæ in amissione rerum consistit, subjici, *Balb. de præscript. p. 6. q. 4. n. 4.* Imò uti ignorantia annalis exceptio nunquam currit *l. 15. §. 3. ff. quod vi aut cl. Hartm. Pist. l. 2. q. 12. n. 26.* Ita, si, præter simplicem ignorantiam, justa quædam causa subsit, contra tricennem etiam præscriptionem restitutio in integrum datur *l. fin. C. de præscr. long. temp. Card. Tusch. Pr. Concl. L. P. c. 587.*

22. Quemadmodum autem is, qui ab initio malam fidem habet, non potest usucapere, §. 1. *Inst. h. t. l. un. §. hoc tantum modo C. de usuc. transf.* ita nec is, qui dubitat, an ejus, qui tradidit, res fuerit, justam in hac materiâ possessionem habere censeatur, quia, quamdiu manet dubitatio, possessor non habet bonam f. quamvis ignoret rem esse alienam: quoniam inter scientem & ignorantem rem esse alienam is medius est, qui dubitat *arg. l. 1. §. 3. de trib. act. Gl. in l. 1. C. d. A. P.* adeoq; quatenus non credit, tradentem fuisse dominum, bonam f. habere non intelligitur, quæ tamen omninò necessaria est ad inchoandam possessionem & continuandam usucapionem *Strauch. Dissert. 8. th. 13.* Si verò dubitatio supervenerit, ad continuandam illam, quæ bonâ f. cepit, possessionem, non nocere, nec interrumpere præscriptionem contra *Sotum lib. 4. de Justitiâ q. 5. art. 4.* disputat, *Lessius d. l. Dub. 3. jünge Ungep. Ex. 7. q. 2.* Non hujus quidem ex jure civili, sed illius sententiam ex jure Canon. probantem.

23. Objectum usucapionis hodiè est quævis res in commercio humano, non solum singulorum, sed & Rerum publ. & Universitatum, existens. Uti autem illæ, *vel sunt corporales*, quæ tangi & externo sensu comprehendi possunt §. 1. *Inst. de reb. corp.* Quæ iterum in mobiles quo etiam se moventes referri possunt, & immobiles, seu res soli, vel solo coherentes, dividuntur *l. un. C. de Usuc. transf. l. 93. ubi Wegn. de V. S. l. 30. C. de Jur. dot.* vel incorporales, quæ, sine ullo corpore, juris intellectum habent, *l. 50. de Pet. her.* & tangi non possunt sed in jure duntaxat consistunt §. 2. *Inst. d. t.* Et tunc *vel nostra sunt* per se, ut hereditas, Imperium, Jurisdictio &c. vel rebus immobilibus inhærendo, ut servitutes, & alia jura realia, vel *nobis debentur* uti obligationes, & alia jura personalia, eatenus etiam materiam usucapionis

pionis & præscriptionis constituunt, quatenus sunt. Quatenus autem aliæ extra commercium sunt, ita non nisi irregulariter ad objectum nostræ disputationis referuntur: De singulis autem, quantum instituti ratio permittit, breviter dispiciendum est, & quidem, ut ex alterutro oppositorum alterum innotescat *pr: Inst: de his qui sunt sui*. Hinc regula hæc præmittenda videtur, quod omnis res, quæ non prohibetur, usucap. hodie possit.

24. Prohibetur lege (1) quæ non est in commercio ut liber homo *l. 6. C. d. ingen. man.* qui tamen potest bona fide possideri *§. 4. 5. Inst. per quas pers.* (2) Res divini juris, quia possideri neutiq̄am potest, nisi specialis ratio subsit. *N. 47. c. 4.* (3) Res publicæ & Universitatis *l. 9. 45. ff. b. t. sine consensu populi, vel ejus qui populi jus potestatemq; habet.* Præterea (4) cooperante favore domini, usucapi prohibentur res pupilli *l. 48. d. A. R. D. l. 10. ff. si serv. amit. l. 3. C. de præscr. 30. an.* Et contra hos non tantum non incipit præscriptio, sed & contra defunctum inchoata sistitur, & impubere ætate durante dormire dicitur, eaq; finitâ cum prioribus tempora posteriora continuantur *Bach. ad Treutl. vol. 2. D. 22. th. 3. L. G. H.* (5) Res minorum quod attinet, illis olim præscribi potuit, quod probatur *ex l. 1. C. si advers. usuc. hodiè tantum longissimi temporis præscriptione summoventur l. fin. C. in quib. caus. in integr. rest.* Et cū hæc præscriptio excurrat ætatē minoris, hinc restitutio quoq; cessat *d. l. fin. C.* Ob hanc causam excipitur (6) fundus dotalis, quod alienatio ejus sit prohibita *L. Julia. l. 4. ff. d. fund. dot.* Usucapio autem est species alienationis *l. 28. ff. d. V. S.* aliud dicendū est, si usucapio sit inchoata, antequam dotalis fieret *l. 16. ff. d. fund. dot.* (7) Propter odium possessorum lege usucapi sunt prohibita res furtivæ, quarum *L. XII. Tab. & L. Atilia* inhibent usucapionem *§. 2. Jus. b. t.* (8) Rerum vi possessorum
usu-

usucapionem inhihent *lex Julia & Plautia §. 2. 3. Inst. d. 1.*
Hæ jam res ne quidem à bonæ f. possessore usucapi possunt,
propter vitium reale, quod rem inseparabiliter comitatur
d. §. 3. & §. 5. Inst. h. t. Hinc mirari subit, cur, non habito
respectu mobilium vel immobilium rerum *Stat: Lubec: l. 1.*
tit. 8. Art. 1. disposuerit, quod post annum & diem nemo
possit rem furtivam vel vi raptam repetere, modò petitor
in eadem provincia fuerit. Uti enim ille terminus nimium
angustus Imper. videretur *arg. pr. Inst. d. usuc. & l. un. C. d. usuc.*
transf. ita rei furtivæ qualitas, cujus *ex L. XII. Tab.* autori-
tas, i. e. vindicandi potestas, perpetua fuit, non sine ini-
juriâ domini mutatur, *arg. l. 2. C. d. furt.* Et quod *l. 3. tit. 6.*
art. 17. circa equum furtivum limitatum est, id tamen
in *l. 4. tit. 1. art. 3.* ex trinâ alienatione, iterum probatur.
Longè æquius jus patriû Hamburgense hic disponit, quando
circa rei mobilis usucapiendæ qualitatem, vel, uti Dd. lo-
quuntur, præscriptibilitatē, ad jus commune provocat *p. 1. t.*
21. art. 1. ibi: *woserne es ein solches Gut ist / das nach gemein-*
nen rechten præscribirt werden kan. Nec (9) res quæ pigno-
ri obligata fuit, & postea à debitore distracta, usucapi potest
l. 6. C. d. usuc. pro emt. quia est quasi furtiva. Nec (10) servus fu-
gitivus, quia fugiendo furtum sui ipsius facit *l. 6. ff. de furt. l.*
1. C. d. serv. fug.

25. Partus tamen ancillæ furtivæ usucapi potest, si ni-
mirum apud bonæ fidei possessorem conceptus & editus est
l. 3. C. d. usucap. pro emt. Et sic accipienda est *l. 10. ff. h. t.* Pro-
lixum se hic præbet *Pacius An. C. tit. de usuc. pro emt.* ubi pro-
ponit hujus regulæ quatuor exceptiones. Quod magis est
dicendum, si usufructuario, qui partum ancillæ, quem putat
suum esse, vendiderit *§. 5. Inst. de usuc. vid. Cuj: ad l. 4. ff. h. t.*

26. Et quamvis circa formam antiquæ servitutis multa
sint immutata, attamen quia hodiernum analogum in pro-
priis

C

priis hominibus, de quibus etiam th. 21. dictum, senti-
mus, non inconueniens erit, de hisce aliquanto latius hic
agere: Si itaque talis homo bonâ fide, sine interpellatione
domini, per viginti annos in possessione libertatis moratus
sit, ipsi longo tempore obtenta possessio firmam præstat li-
bertatis defensionem l. 2. C. de long. temp. præscr. quæ pro lib.
Quod tempus indistinctè est vicennium, uti id firmissimis
argumentis comprobatur Excell: Dn. Præses in Exam: Jur: ad
Inst: b. t. §. 41. Illi verò qui, sui status conscii, in seruili,
ascriptitiâ, aut, ut loquuntur Practici, talliabili conditione
sunt, nullius temporis, ut ut longissimi, spatio, libertatem
præscribunt l. 1. C. d. t. l. 22. §. 1. de agric: & cens: Quod ta-
men de jure Lubicensi aliter observari dictum est d. th. 21.
ubi Mev. all. l. Et æquius Stat: Hamb: se dominis, fugitivos
vindictantibus, ostendit; quo nec Senatui permittitur de facili
propriis homines in numerum civium adsciscere, & demû
post decimum annum vindicias denegat p. 1. t. 2. art: 2.

27. Quod ad res incorporales attinet, sciendum, eas,
cum in jure solùm consistant §. un. Inst: de reb: corp: & in-
corp: nec possideri, nec tradi, nec usucapionem recipe-
re posse l. 43. §. 1. ff. d. A. R. D. l. 4. §. 27. ff. b. t. l. 14. ff. de
servit. Quod tamen in servitutibus ita transformavit Ju-
stinianus, ut ad instar rerum immobilium, contra L. Scri-
boniam, l. 4. §. ult. ff. b. t. quam tamen plebiscitû, ex addu-
ctâ ratione, credit Cujac. ad d. l. 4. longo tempore acqui-
rantur l. un. C. de usucap: transf: l. pen. C. de servit. l. ult. C.
de præscr: long: temp: imò etiam ante Justiniani tempora,
non tantum exceptio præscriptionis possessorem tuebatur,
sed & longa quasi possessio utilem actionem tribuebat l. 10.
ff. si servit: vind: l. 20. de S. P. U. ubi Costal: Ceterum ad hanc
præscriptionem adversus Dominum prædij servientis scien-
tem & patientem, titulus non requiritur, quia sola scientia
vicem

vicem traditionis obtinet, & patientia titulum supponit d.
l. 10. l. 2. C. de serv: & aq: d. l. fin. C. l. 1. §. ult. l. fin. C. de aq.
pluv. arc. Quod etiam Stat: Hamb: eleganter probat: nisi
petitor malam possessoris fidem possit probare l. 1. t. 21.
art. 3. Neq; inter continuam vel discontinuam servitutis
causam (vel potius usum, ibi stetswehrenden/oder zu zeiten rus
henden Gebrauch) distingvit. Tempus tamen decennii in-
terdum duplicatur l. 7. ff. quem adm. serv: amitt: l. fin. C. de
serv: & aq. Franzk: ad Tit. quem adm. serv: am: n. 32. 33. Quo-
modo autem & quanto tempore in aliis juribus, realibus &
personalibus, sc: obligationibus, hereditatibus, hypothe-
cis &c. currat præscriptio, infra prolixius notabitur.

28. Quoniam autem de rebus Publicis & Universi-
tatum jam ante mentionem injecimus, ex Tacito l. 3. an. 33.
advertendum est, quod cunctas nationes & urbes, populus,
aut primores, aut singuli regunt; undè Politici, exclu-
sâ anarchiâ, triplicem Reip: formam, scil: Monarchiam,
Aristocratiâ & Politiam asserunt, secundum quam illarum
rerum, quæ in privatorum commercio esse negantur, usu-
capio vel præscriptio diverso modo procedit.

29. Nam, etiam imperia & territoria per præscripti-
onem acquiri & postea defendi posse, apud civilis pruden-
tiæ peritos in confesso est; quia omne illud quod potest ac-
quiri, conservari, & amitti arg: l. ult. ff. d. ll. adæquatum.
objectum præscriptionis est. Hinc Tacit: l. 6. A. c. 32. Artaba-
ni, veteres Persarum & Macedonum terminos reposcentis,
vaniloquentiam dicit. Eò etiam responsum Jephthæ non
pauci referunt Jud: 11. v. 26. 27. Limn: in Cap: Car: V. p. m.
176. Quamvis Just: Sin: Schuz in Coll: I. P. Vol: 1. D. 3. pos-
sessionem illam, ex titulo donationis potius à Deo factæ,
quàm præscriptionis, defendat. Et si maximè ab initio nõ
justo titulo occupata sint terrarum dominia, attamen acce-

dente longâ & quietâ possessione, præscriptione se tueri solent illorum possessores, ne quasi in perpetuo motu sit mûdus, nec ulla gentium quies.

30. Si tamen justo bello regnum aut provincia fuerit occupata, sciendum erit, quod capta in bello fiant capientium, non jure præscriptionis, sed jure belli *H. Grot: l. 3. c. 6.* Proinde Romani Volscorum legatis, urbes bello captas repetentibus, responderunt; se eas jure belli possidere. Et Galli Legatis Romanorum, Hetruriam vindicantibus; se in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse *Liv. l. 5.* Sin per pacis leges, ditiones quædam victori, ab illis, qui concedendi jus habent, fuerint concessæ, non tantum grave esse videtur publicam fidem fallere *arg. l. 1. ff. de constit: pec. sed & validam de jure Gentium traditionem, & per hanc privativè translatum dominium revocare, injustum, d. l. 20. C. de pact: jung. Conring: de Imper: Rom: p. 284. Et seqq. Grot: d. I. B. & P. l. 2. c. 4.*

31. Qui autem vi majori, vel aliàs injustè sibi ablata regionum spatia quærentur, ne videantur tacito consensu possessionis nexum probare, vel sua negligere, aut pro derelicto habere, publico diplomate id testatum facere, vel protestatione præscriptionem interrumpere, aut etiam usu insignium, vel collatione officiorum jura sua, à fatali præscriptionis termino tueri debent. Quod inter Gallos & Anglos, Svecos & Polonos, nec non Juliacensis successionis consortes, centumq; alios, factitatum esse, tam notum est, quàm quod notissimum esse potest.

32. Et quamvis res fisci usucapi non possit, quia fiscus dicitur ararium Principis, & proprium quasi peculium §. 9. *Et ult. Inst; l. 18. ff. h. t. l. 2. C. comm: de usuc: quod magis de juribus majestatis docet Reinking de R. S. & E. l. 1. 2. 263.* unde etiam exemptionem ab Imperatoris & imperii obsequio,
ad

ad impræscriptibilia l. 4. 29. b. l. 6. C. de præscr. 30. an. & Dd.
à Meiero in Coll: Arg: h. t. n. 12. narrati referunt; id tamen
non simpliciter, ne subinde quies publica turbetur, vel
infelici bello Germania involvatur, erit statuendum, R. I.
d. an. 1548. §. 54. 56. Michaël de Jurisd: n. 63. & seqq. Pruckm:
de Regal: c. 5. sed pro objecti qualitate, adeoq; extraordina-
rio ufucapiendi & præscribendi modo, venit explicandum,
secundum ea, quæ habet Lessus de I. & I. d. l. 2. c. 6. Dub: 12.
Hinc illa communis regula repetenda: Quicquid est alie-
nabile, idem & præscriptibile l. 3. C. nov: vect: Inst. non posse
Wesemb: de Jurisd: n. 9. & ibi Bachov. Ipsa etiam feuda, in
quibus aliàs nulla dicitur valere præscriptio 2. F. 40. 55. pro-
lixitate temporis, & longo annorum numero possessa, ac-
quiruntur 2. Feud. 26. §. si quis. Harpr. pr. Inst: h. t. n. 144. &
seqq. Rosenth: de Feud. c. 6. concl. 77. n. 9. quod pariter in hoc
Ducatu obtinere docemur, Affecur: revers. d. an. 1621. art. 29.

33. Rursus ab ufucapione liberæ sunt: Res meræ facultatis,
quæ sine juris impulsu, libero agentium arbitrio naturaliter
permittuntur, & proinde, per se, quiescant, sive in operatione
perducantur, nullum juris effectum habent. Quo inter
alia refertur jus luendi pignoris; quia illud non sibi, sed debi-
tori possidet creditor, & quod debitor creditori suo debi-
tū ad luendū pignus semper offerre possit, in merâ facultate
versatur, per rationes, quas vide apud Mev. ad jus Lubec. l. 3.
t. 4. art. 4. Myns: l. obs. 16. Faber: in C. tit. d. præsc. 30. an. d. 7.
Pac. an. C. d. t. n. 11. Cujac: parat: C. eod. Idem de reservato
jure retrovenditionis statuendum, quia à parte venditoris
repetitio est meræ facultatis, à parte autem emtoris recu-
santis semper mala fides emergit Coll: Jur: Arg: de Contrah:
Emt. n. 54. Harpr: ad pr: Instit: h. t. n. 183. & seqq. Speckh: cent.
2. cl: 2. Q. 12. Annuī quoq; redditus, etsi intra triginta,
vel quadraginta annos petiti non fuerint, nihilominus ta-

men, quia singulis annis nova nascitur obligatio, in futurū debentur *Gail: l. 2. Obs: 73.*

34. Et uti cuique liberum est, pro lubitu ædificare, dummodo nihil contra Leges, vel in æmulationem vicini, fiat *l. 9. de S. P. U. l. 8. §. 5. ff. si serv. vind.* ita quoque molendinum in suo extruere nullus prohibetur, modo ne per hanc novam molam invertatur cursus solitus aquæ, damnumque; inde vicinis molis inferatur, vel etiam publicis viis, piscationibus, aliisque; similibus juribus. *Wesemb: Conf: 67. n. 24. 25. V. I.* Cum quoque Jus Provinciale Meklenburgicum, convenit *Affecurat: Revers: d. an. 1621. art. 32.* Sic etiā ire ad molendinū res est facultatis, hincque; ullo tempore illi nō præscribitur, etiamsi per mille annos subditi ad dominorum molendinum iverint *Coppen: decis: 19. n. 6.* si tamen sit molendinum bannarium, ideo sine causa ad aliud molendinum se conferre non debent. Quod si fecerint, domino jus erit, illos, pro qualitate subtractæ molituræ, punire, item arresto ac pignoratione coërcere, sequē in quasi possessione sui juris manu tenere *Hering: de molend: q. 11. n. 138. & seqq. junge Speid: voce Zwanckmühlen.*

35. Verum enimvero regulam hanc, quæ res meræ facultatis præscribi negantur, variè declarant *Dd. & Wesemb. V. 1. conf. 2. n. 94. dicit,* quod hæc regula tantum procedat (1) in iis, quæ sunt facultatis publicæ, non privatæ (2) in iis, quæ competunt ex merâ voluntate: secus verò in his, quæ simpliciter non sunt facultatis, nec collata in puram voluntatē (3) in iis, quæ non sunt in iudiciū deducibiles, & quarum nomine non sit actio aut obligatio. (4) in iis, quæ sunt facultatis & libertatis naturalis, non in illis, quæ veniunt ex contractu & obligatione (5) non autem in facultate juris quæ sita: quia jus potius est, quàm facultas. Denique; *Baldus in l. 2. C. si omissa sit caus: test.* hanc regulam veram ait, in præscriptionibus temporalibus, non immemorialibus *vid. Barbosa Taboris lib. 6. ax. c. 4.*

Reli-

36. Reliquum est, ut ad requisita, in quibus usucapionis præscriptionisve forma se perfectius ostendit, progrediamur. Uti enim rerum naturalium una communiter dicitur forma seu differentia specifica, ita in civilibus, quæ ab arbitrio humano dependent, plura sæpius constituta sunt, quæ in esse rei incurrunt. Hinc primum formale usucapionis ponimus Traditionem; quam definimus possessionis translationem *l. 28. de V. O. l. 2. de act. emt.* Hæc autem sicut à domino, est modus transferendi dominium, & absolute dicitur traditio *§. 40. Inst. de R. D. l. 20. C. de pact. si à non domino, præstat usucapiendi facultatem §. 5. Inst. per quas pers. cuiq. acq.* Et hinc rectè dicitur in *l. 20. ff. A. R. D.* quod traditio nihil ampliùs transferre debeat & possit, ad eum, qui accepit, quam est apud eum, qui tradit. Hinc patescit, præprimis requiri traditionem, à non domino, factam. Nam qui rem accipit à domino, non usucapit, sed ipso facto dominus fit, *pr. Inst. h. t.*

37. Secundum requisitum est Titulus, qui dicitur causa, quia ex hæc orta est occasio traditionis, dicitur titulus, quia possessionem tuetur ac defendit. Definimus titulum, quod sit modus ad transferendum dominium idoneus *l. 31. ff. de A. R. D. l. 4. C. de præscr. long. temp. l. 3. §. 21. d. A. P.* Quo ipso distinctionem propono inter modos transferendi dominium, qualis v. c. est traditio *l. 20. C. de pact.* & modos ad transferendum habiles, *vid. Bachov. Inst. tit. d. R. D. ad §. per traditionem.* Et sic itidem sine titulo nulla procedit usucapio *l. 4. C. de præscr. long. temp. l. 4. de usuc. pro her.* nullum transfertur dominium *l. 31. ff. d. A. R. D.* Prohibent enim leges, nullo præcedente iusto titulo, pro insatiabili cujusq; affectu & cupiditate, dominium quærere *l. 24. C. de R. V.* Proinde fundans se in possessione, tenetur probare titulum, quo suam justificet possessionem.

sessionem ab impugnatione alterius. Qvi verò interrogatus cur possideat, nihil aliud allegare potest, quam quod possideat, is injustè possidet, diciturq; prædo, & m. f. possessor *l. 12. l. 13. ff. Et pet. her. Cujac. ad l. 13. b.* Et quemadmodum usucapionis una tantum causa est, sicuti domini unus tantum titulus: ita tamen plures sunt tituli & causæ possessionis *d. l. 3. §. 4. 21. Cujac. ad l. 3. b. t.* Requiritur autem omninò, ut titulus ille sit habilis ad transferendum dominium. Et hi partim in Pandectis, partim in Codice, sub hac materiâ occurrunt.

38. Et quidem in Pandectis primo loco se offert: datio in solutum per *l. 46. b. t.* vel, quando quis possessione cedit *l. 33. §. 3. eod.* quæ vel voluntaria est, quæ: se explicat in voluntate debitoris & creditoris: vel necessaria, quæ invito etiâ creditore fieri potest *Nov. 4. c. 3. R. I. d. an. 1654. §. 172.* Ultraq; autem vicem emtionis tenet *l. fin. ex quib. caus. in posse. eatur. l. 24. de pign. act. l. 4. C. d. evict.* Proinde etiâ titulus pro emtore eidem subjicitur *t. t. pro emt.*

39. Sequitur titulus pro herede vel possessore, in quo haud minimæ occurrunt difficultates, Quarum (1) est: quod in hoc titulo non agatur de usucapione hereditatis, vel bonorum possessionis, quia hæ, tanquam res in corporales usucapi non possunt *Cujac. ad l. 1. ff. b. t. cum & hereditatis petitioni longissimo demum tempore præscribatur l. 7. C. d. hered. pet. l. 3. C. d. presc. 30. ann.* adeoq; pro herede vel pro possessore hic usucapit, qui hereditatem, vel possessionem indeptus, res in bonis defuncti repertas, & ab eo bona f. possessas usucapit *§. 4. 12. Inst. b. t. l. 1. Et ult. C. eod. l. 33. §. 1. d. usuc. Bachov. ad Wesf. b. n. 1. l. 3. pro her.* (2) Titulum pro possessore hic eandem habere significationem quam habet *in tit. d. pet. her.* statuit *Pacius*, & contrariū statuentes falsi inculsat. Nos autem cum *Cujac.* pro possessore

re

re, bonorum possessorem, seu Prætorium heredem intelligimus *C. A. h. n. 12. Wesenb. h. n. 6. (3)* magnus veterum Istorum error, circa *l. 2. C. d. usuc. pro her.* committitur, quando statuunt, suum heredem pro herede usucapere non posse, cui sententiæ ipsa lex contradicit, quod sc. existente suo herede, extraneus non possit pro herede usucapere, *Giphan. ad d. l. C. jung. Cujac. ad l. 2. ff. h. t.*

40. Ad titulum pro suo eleganter notat *Cuj. ad l. 2. h. t.* quod aliud sit pro suo possidere, quod faciunt illi, qui ex justo titulo facti sunt domini: aliud autem pro suo usucapere; qui titulus vel generalis est, & cum aliis concurrat *l. 1. h. t.* vel specialis, & per se subsistit, locumque habet, cum aliorum specialiorum titulorum nomen cessat. Et tunc vel habet titulum opinatum, dummodo justam habeat errandi causam *l. 27. d. usuc. vel nec verum, nec opinatum l. 2. h. t. l. 20. C. d. agr. & cens. Pac. in Isag. b.* De aliis titulis, puta, donato, derelicto, legato, dote, item transactione, iudicato, noxæ dedito, prolixè hic agere, instituti nostri ratio non permittit.

41. Non autem sufficit titulum habere, sed & probandus ab allegante venit, quoniam sæpiusculè non jus, sed probatio deficit. Neque enim titulus, uti *Pärladorius Rer. quot. l. 1. c. 1. §. 9.* nequicquam contendit, ex longi temporis possessione præsumitur *l. 4. 5. C. de præscr. long. temp.* Quod etiam *Stat: Hamb: p. 1. t. 21. art. 1.* ibi: *mit guten Titul und Gewissen* innuit, & ad art. seq. interpretativè extenditur: quia scilicet quisque scire debet & potest, rem, quæ ad se ex nullâ certâ causâ pertinet, omnibus modis alienam esse *l. ult. C. unde vi. Fachin. 8. contröv. 30. 32.* Ex longissimâ tamen possessione titulus præsumitur. Hæc namque sine titulo validè probat *l. pen. §. 1. C. de præscr. 30. an. Menoch. l. 3. de præsumt. 131. n. 38. Wesenb. 1. cons. 4. n. 79.* quod etiam de jure Canon. asserit *Covarr. 2da part. relect. §. 5. tom. 1.* Cum & de jure

D

Civili

Civili post spatium 30. annorum omnis malæ fidei quæstio tollatur *l. 3. §. 1. C. de præscr: 30. an. Wesenb. d. l. n. 85. Bald. ad l. si quis diuturno. n. 2. si serv. vind. Quæ de præscriptione longissimi temporis adduximus, multo magis in præscriptione immemoriali obtinent Suth. D. 6. th. 25. Vasqv. 2. illust. quæst. 81. n. 13.*

42. Tertium usucapionis requisitum, à parte accipientis, constituit Possessio, quæ ita substantiam usucapionis ingreditur, ut nonnunquam ipsam usucapionem denotet *vid. th. 4. ex quâ efficitur πλοικη elegans: possessionem sine possessione non consistere Cujac. parat. ff. h. t. Hujuscemodi enim figuræ frequenter in jure occurrunt, ut in l. 5. ff. solut. matr. in constituendi verbo, in l. 14. §. 7. ff. de edil: ed. Quod autem sine possessione nulla sit præscriptio, id docet l. 25. ff. h. t. c. 3. d. R. I. in 610. Possessio, vel à pedibus sic appellata, vel à sedibus, ut legit editio Florentina *vid. Gl. ad l. 1. d. A. P. propter ambiguum vocis usum, Dd. ingenia sæpè turbat, errorumq; variorum mater est, quibus præprimis occurrendum. Hinc, rejectâ illâ significatione, quæ hujus loci non est, ubi vel denotat rei immobilis dominium, & latifundium l. 78. §. 1. de leg. 2. l. 15. qui satis d. cog. l. 4. §. 2. de al. jud. mut. caus. vel bonorum possessionem t. t. de honor. poss. possessionem hic dicimus rei detentionem: quæ iterum modò in facto, modò in jure consistit, quatenus aliud est simpliciter tenere, aliud possidere l. 49. §. 1. de A. P. l. 38. §. 7. 8. 9. de V. O. §. 2. Inst. quib. mod. toll. obl. aliud in possessione esse §. 5. Inst. de interd: l. 10. §. 1. de A. P. seu pro alieno possidere l. 13. de usuc. Hinc alia corporis, alia juris possessio l. 48. de A. P. Et hinc alia naturalis, seu corporalis, alia civilis l. 2. §. ult. pro her. l. 10. C. l. 24. 25. §. ult. ff. de A. P. alia justa, alia injusta l. 2. 3. uti poss. Ideo gradus possidendi accuratè veniunt distingvendi, Sic dominus possidet jure domini, nec opus**

opus habet usucapione, creditor jure pignoris, colonus & inquilinus jure conducti, usufructuarius jure servitutis, qui hactenus quidem dicuntur possidere, sed precario, quia illis longâ possessione præscriptio nõ acquiritur *l. 2. C. de præscr. 30. ann. l. 1. C. comm: de usuc. l. 33. §. 3. ff. h. t. jung. l. 22. §. 1. de nox: act. l. 35. §. 1. de pign: act. l. 37. pr: de A. R. D.* Reliquum ergo est, quod in hâc materiâ justam censeatur habere possessionem, qui non quidem jure, sed opinione domini rem alienam tenet *§. 4. 5. Inst: per quas pers: nob: acq: & eatenus possessio usum significat l. 115. de V. S. quæ cum proprietate nihil habet commune l. 12. §. 1. d. A. P.* sed ex quâ, impleto usucapionis tempore, dominium per usum acquiritur *d. §. 4. 5. Inst.* Hinc dicitur justa, & civilis, quia præter corporalem rei insistentiam jus in re; & tractu temporis, plenum dominium tribuit. Ad cujus possessionis acquisitionem pariter & corpus, & animus requiritur *l. 3. §. 1. l. 30. §. 5. ff. d. A. P. l. 153. d. R. I. §. 5. Inst. de interd.*

43. Quartum requisitum constituitur in bonâ fide, quæ etiam varias admittit significationes. Modò idem est, quod æquum ac bonum, & ita vel refertur ad judicem *§. 20. Inst. d. act. vel ad ipsum negotium inter mortales gerendum, seu ad omnes conventiones, & contractus, in quibus præcipuè exigitur, & æquitatem summam desiderat l. 31. Depos. l. 4. C. de obl. & act. & sic (1) opponitur dolo, & fraudi, quæ ab omnibus contractibus debet abesse l. 23. d. R. I. l. 1. §. 1. d. act. emt. l. 5. C. de resc. vend.* Hinc clausula Germanis usitata: *alles aufrichtig/ und redlich/ ohne Urge-List und gefâhrde.* Modò bona fides opponitur stricto juri, & ita bonæ fidei & stricti juris judicia distingvit, & judicis officium circa hæc explicat *l. 7. d. neg. gest. §. 28. & 30. Inst. d. act.* In eadem bonam fidem in animi scientiâ collocamus, cum videlicet quis eam rem, quam possidet, suam esse credit *l. 136. ff.*

d. R. I. l. 10. d. A. R. D. l. 24. ff. h. t. & sic invicem sibi opponuntur bonâ fide & non b. f. possidere l. 3. §. 22. l. 1. §. 6. ff. eod. In quâ significatione hic definitur, quod sit ignorantia injustæ possessionis l. 109. ff. d. V. S. Nec videmus rationem, cur, ex sententiâ *Strauchij* D. 8. th. 13. potius per animi sententiam debeat definiri; quoniam per scientiam, ignorantia oppositam, denotamus iudicium intellectus, seu cognitionem ad vitæ usû applicatâ *vid. Frantzk.* l. 2. resol. 22 n. 4. adque bonâ f. in animi scientiâ & ignorantia recte ponitur d. l. 136. d. R. I. l. 24. 38. h. t. l. 3. ff. ad L. Fab. de Plag.

44. Et quamvis de jure civili, saltem initio, i. e. tempore traditionis, bona f. requiratur l. 4. §. 18. l. 15. §. pen. & ult. ff. h. l. 2. pro emt. l. un. C. d. usuc. transf. attamen de jure Can. ille justam ad usucapionem habet possessionem, qui toto tempore bonâ fide nititur. c. possessor de R. I. in 6to. c. vigilantibus & c. fin. X. de prescr. quod sumtum est ex Concilio magno Lateranensi, ibi: *quia omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absq; bonâ fide prescriptio, tam canonica quam civilis, cum generaliter sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absq; mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui prescribit, in nullâ temporis parte habeat aliena rei scientiam.* Quod jus propter conscientia rationem, usu fori receptum est, & clarissimè probatur *Stat Hamb: d. p. 1. t. 21. art. 2.* ibi: *Die obgesetzte zeit über in malâ fide constituirt, und ein böß Gewissen erlangt & art. 3.* ibi: *wosern anders kein mala fides und böß Gewissen des prescribenten von dem Gegentheil & c.* Proinde, quod quis novit alienum id omninò restituere debet. Neq; hic longissimum tempus proderit c. 5. X. de prescr:

45. In dubio tamen bona f. semper præsumitur l. 51. ff. pro soc. l. pen. C. de evict. nisi contrarium probetur, quoniam quisq; præsumitur bonus c. fin. de presunt: *Alciat: de Præsumt:*

sumt. Reg: 3. præf: 5. Et ideò dolum allegans, qvo mala f. nitur, probare eum tenetur, vel ex denunciatione *l. 17. C. de R. V. Stat. Hamb. d. art: 2.* vel aliunde, *Mench: de A. I. Q. 2. c. 225. l. 18. §. 1. ff. de probat: l. 6. C. de dol.*

46. An verò res, finito usucapionis vel præscriptionis termino, in foro conscientia retineri queat, si postea forte superveniat mala fides? Id valdè inter Dd. controversū est. Qui affirmativā tuentur, hoc utūtur præsidio; qvòd post impletam usucapionem nihil amplius operetur mala f. cum possessor in dominio, legum autoritate, validè sit constitutus, qvòd tunc retinet tantum, & conservat. Neq; hic distinctionem inter titulum lucrativum, & onerosum, quasi priori modo possidens, teneatur restituere, posteriori non, admittunt, qvonia acquiritō semel dominio, jus antiqui domini plane extinctum est. Ast cum mala fides nunquam conscientiam possessoris tranqvillet, vix est, ut rem sine peccato se retinere posse credat, hinc consultius fecerit, si rem reddat *vid. C. I. A. b. t. n. 19.*

47. Ultimūm requisitum formale consistit in tempore, lege civili definito. Qvamvis enim usucapio & præscriptio per se, & sui naturā, est juris communis th. II. attamen ex præfinito à legislatore tempore, qvòd secundum Imperiorum, Regnorum, Rerumpubl: & regionū leges, moresq; receptos varium est, ad jus positivum simpliciter refertur. Adeò ut vel nulla hodiè sit Provincia, qvæ non proprio jure, & certo tempore in præscriptionibus utatur *Heig: p. 1. q. 16. n. 10.* ut autem intra Imperii fines nos contineamus, Jure Saxon: duas præscriptionum species constitutas esse reperimus, alteram: qvæ ad res mobiles pertinet, anni & unius diei, alteram triginta annorum & diei, ubi notandū, qvòd dies in illo jure sit planè civilis, qvia continet sex menses & tres dies *Coler: ad C. de quarta n. 37. § 77. X. de præscr:*

Finckelth: Obs: 83. n. 1. 2. 3. Stat: Hamburg: part: 1. Tit. 17. art. 10. Nomothesia Reipubl: Lubec: quæ vicina, imò filia juris Saxonici dicitur *Cothm: Vol: 1. conf: 40. n. 5. & seqq.* præcipuè anni & unius diei rationem habet, non tantum in rebus mobilibus, sed & immobilib9 *l. 1. tit. 8. art. 1. 2.* quæ termini angustia non sine ratione displicuit Imperatori Justiniano *pr: Inst. b. t. l. un. C. de usuc. transf:* Non tamen inconsultò *Stat: Hamb:* quod aliàs plurimum juris communis regulas, in Imperio receptas, providè imitatur, eundem terminum fatalem, in publicâ rerum immobilium alienatione, & judiciali cessione approbat, quo, sub illâ solennitate, ultra annum & diem non vult ad evictionis satisfactionem emptorem obligari *p. 2. tit. 8. art: 6. 7.* additus autem anno dies videtur, tum quia illud antiquo jure Feudali *2. F. 24. 40. 55.* erat ita receptum, tum ut tollatur disceptantium rigor, an dies termini computetur in terminum. *Mev. ad Jus Lub. d. art. 1. n. 6. 16.* in hisce tamen statutis non intelligitur communiter dies Saxonicus, sed civilis & vulgaris, sc: 24. horarum.

48. De cetero, quia Romanorum prudentes omniù diligentissimè exactissimèque materiam usucapionis, & diversas temporum præscriptiones excoluerunt, quibus etiam Imperatoria Augustorum majestas declarationem & robur addidit *Heig: d. Q. 16. n. 7.* non alienum ab instituti ratione esse videtur, à momento ad centum annos, qui terminus vitæ longissimus videtur, *l. 56. ff. d. usufr. l. 8. d. usufr. leg. isthac repetere.*

49. A momento itaq; auspicatori, illud hic non denotat aliquod emolumentum *l. 88. d. ber. Inst: l. 137. §. 1. d. V. O.* nec citissimam temporis periodum, vel minutissimum temporis spatium, quo naturaliter annus numeratur *l. 5. d. O & A.* nec celerem possessionis reformationem *l. 4. C. d. agr. & cens: l. un. C. si de moment. poss. l. 8. C. unde vi* nec civili-

vilitèr spatiū horæ, qvatenus nemo potest omniū memento-
rū, i.e. minimarū particularū, uti in simili *Alphenus in l. 76. de
Judic.* loqvitur, rationem sub ducere *l. 3. §. 3. ff. d. min.* sed
civiliter totum postremum diem interpretativè & per ficti-
onem juris, pro momento accipimus *l. 15. ff. d. div. temp.
presc. l. 7. b. t. Cujac. ad l. 6. b. t. Et c. 1. de div. temp: presc.*
adeoqve postremus dies coeptus habetur pro completo *l. 6.
ff. b. t. l. pen. pr. ff. d. div. temp. presc. l. 134. d. v. s.*

50. Diem itidem hic intelligimus non naturalem,
qvi ab ortu & occasu solis intelligitur; nec utilem seu ses-
sionū *§. 3. 4. Inst. d. Interd.* sed civilē, qvi 24. horas continet,
& à mediâ nocte incipit, & sequenti nocte finitur *l. 8. ff. d.
feriis.* Et qvamvis ab ortu solis fiat horarum dinumeratio,
interim major diei pars est septem horarum *l. 2. §. ult. ff. d.
v. s. Brisf. v. dies.* Mensem etiam hic nec sol, nec luna de-
terminat, sed eum parili ratione civiliter computamus, ut
30. diebus absolvatur *l. 12. d. stat hom. l. 12. d. R. I. l. §. ult.
d. jur. delib.* dicitur autem Febr: mensis intercalaris *l. 98.
d. v. s.* Annum accipimus non utilem, qvibus duntaxat ex-
periundi potestas est *l. 19. ff. d. min. l. ult. C. d. in integ.* sed
solarem communē, qvi continuis trecentis sexaginta qvin-
que diebus, ex constitutione Julij Cæsaris, constat *l. 4. §. 5. ff.
de statulib: Svet. in Jul: Cæs: c. 40. can. 40. dist: 5. de conf.*

51. Quoniam autem de diversis temporalibus præ-
scriptionibus, seu terminis, ut loqvuntur, fatalibus, à deter-
minatione civili, ita dictis arg: *l. 15. §. ult. de testam: mil:* à
momento ad 100. annos, & infinito etiam tempore, ele-
gantissimam Pragmateciam ex Latinis *Cujac. in speciali
Tractatu. Tholos: in Syntagm: Juris lib: 41. c. 5. Mejer. in
coll: Arg: ad Tit: ff. de Diversf: temp: presc.* & multi alii ma-
gni nominis Jurisconsulti: Nec non Græcus Antecessor
Eustathius, de temporalibus intervallis, itidem à momento

ad

ad 100. annos, & indefinito tempore, singulari studio, interprete Joanne Leunclavio, cum Scholiis Athanasii, ediderunt, nolumus isthæc de chartâ in papirum compilare, sed cum tres duntaxat usucapionum & præscriptionum species Doctores inculcare præcipuè soleant (1) rerum mobilium, quæ fit triennio (2) rerum immobilium & hisce inhaerentium, longo tempore i. e. inter præsentis decennio & inter absentes vicennio *pr. Inst. h. t. l. nn. C. de usuc. transf.* (3) illorum jurium, quæ Pandectarum jure erant perpetuæ *pr. Inst. de perpet. & temp. act.* ex constitutionibus Principum autem longissimo tempore i. e. 30 aut. 40. annis terminantur *d. pr. t. 3. l. 7. & t. t. C. de præscr. 30. vel 40. ann. Thol. d. c. 5. n. fin.* nos quædam etiam delibando notabimus.

52. Circa statuta autem, quæ à jure communi discrepant, id præprimis notandum est, quod ultra casus speciatim expressos non extendantur, quia Statuta sunt stricti juris, ergo restrictivam potius, quam ampliativam interpretationem recipiunt, adeoque; nec à casu ad casum extenduntur, ne per illa auferatur privilegium, jure singulari concessum, nevé impia audiant præsidia, improbæ temporum allegationes *arg. Nov. 9. Mev. ad Jus Lub: l. 1. t. 8. art. 1. n. 18. & seqq. Carpz. Jur. for: p. 2. c. 3. def: 4.* Idque; ne contentionis, quam veritatis cupidioribus, ansam ligandi præbeat, Stat. Hamburg: ita cautè & prudenter provisum est *d. p. 1. tit. 21. artic. 2. in fin.*

53. Uti autem primus præscriptionis articulus ad momentum temporis refertur, quod civilem, pro subjectâ materiâ, admittit interpretationem, ita qui momento rem bona fide possedit, habet actionem publicianam *l. 12. §. ult. ff. de publ. in rem act.* Imò vox pariter, statim, ilicò, seu stante pede in cōrinēti, Germ. *alsobald/ ungesumet/ stehēdes/ Susses/* momentum civile significat. Sic in *Stat. Hamb: l. 1. tit. 3. art. 4. il-*

4. illatum alicui vulnus debet confestim indicari, & exami-
nari, ubi conjunge *C. Crim. Car. V. art. 147. 149.* Et appel-
latio extra iudicium intra decem fatales dies interponen-
da *l. ult. §. 1. C. de temp. & repar. appell: Nov. 23. c. 1. Auth.*
Hodie C. de appell: c. 15. §. taliter X. de sent. & re jud. etiam
judicialiter ilicò, stante pede i. e. ipso momento, vivâ voce
apud acta fieri potest *l. 2. l. 5. §. 8. ff. l. 14. C. de Appell. Coll.*
Arg. de Appell. n. 12. m. 5. Quod etiam *Stat. Hamb. pobat p. 1.*
tit. 37. art. 1.

54. Circâ horas id duntaxat notandum, quod dies
civilis Romanorum habeat 24 horas, quæ incipiunt à mediâ
nocte, ad insequentem noctem *l. 8. ff. d. fer. & dilat.* quando
autem *in l. 2. d. U. S.* major pars diei septem horarum pri-
marum dicitur; illud de naturali die, ab ortu ad occasum so-
lis computando, explicandum est *Cujac. & Dd. add. l. 2. Uti*
autem 365. dies, & 6 horæ constituunt annû, quartus annus
VI. Cal. Mart. unum diem superaddit, qui dicitur intercala-
ris, Germ. ein Schalt Jahr. Dicitur autem dies ille bissextus,
& mensis bissextilis, quia biduum illud pro uno die accipitur
l. 3. §. 3. ff. d. min. &, qui in diem debet, non nisi illo præ-
terito convenitur *§. 1. Inst. d. V. O.* Intra triduum autem
errorem advocati quis potest corrigere *l. ult. C. de err. adv.*
Et glande, quæ in alienum fundû cecidit, legere *l. 1. C. d. gland.*
leg. Triduum etiam impunè expectare potest, qui cambium,
nondum acceptare volenti, obtulit *Stat. Hamb. p. 2. tit. 7.*
art. 2. 3. & duodecim post acceptatum d. l. art. 4.

55. Menses vel sunt naturales & caelestes: & tunc vel
Solis, vel Lunæ *Caranz: de Partu c. 12.* vel civiles, qui singuli
triginta dies in jure communi continent, adeoq; nonagin-
ta dies idem sunt, quod tres menses *l. fin. C. de jur: delib. Nov.*
115. c. 2. Auth: ita jubemus C. de judic. Ita apochæ intra triginta
dies, seu mensem, opponitur exceptio non num. pecun. *l.*

14. §. 1. 2. C. de non. num. pec. & elapso mense intentanda est reconventio Stat: Hamb: p. 1. t. 22. art. 4. Sex mensibus præscribitur actioni redhibitoria l. 2. C. l. 19. §. fin. ff. de Ædil: Edict: & ita septimo mense, nec tamen ultra decimum mensem, nasci legitimum partum, receptum est l. 12. d. stat. hom. l. 3. §. fin. de suis & leg. l. 29. ff. d. lib. & posth. l. fin. C. d. posth. her. Nov. 39. c. 2. Menoch: de A. I. Q. l. 2. c. 89. vid. Carpz. p. 4. C. 27. def. 15.

56. Annus in veteri prudentiâ sufficiebat ad usucapiendam rem, & præscribendum actionibus personalibus, sed utrumq; Imperator sustulit pr. Inst. b. t. l. 1. C. d. ann. exc. Jus feudale, ad petendam investituræ renovationem, annum & diem requirit 2. Feud. 24. qvi, ex æquitate, pro die civili, & mense explicatur 1. Feud. 22. Et uti Lubecensis Juris prudentia nimium annali præscriptioni defert: Ita Hamburgensium leges eundem terminum, non nisi æquitate subnixum, probant: Sinempe propter contumaciam rei, immisio in rem immobilem facta fuerit, poterit ille, intra annū & diem, contumaciam purgare p. 1. t. 16. art. 2. 3. 4. itē post annum & diem non potest præfens impugnare, quod ad liberum publicum solenniter est relatam p. 1. tit. 30. art. 2. Per annum & diem debet creditor, ex primo decreto immisus, debitori servare jus reluendi p. 1. t. 42. art. 2. Post emissionem iterum debitori annus & dies ad reluendum conceditur d. l. art. 3. Nec ultra annum, post ingrossationē evictio præstat p. 2. t. 8. art. 6. 7.

57. Intra biennium potest literarum obligationi, quæ ex quasi mutuo oritur l. 5. C. de non num. pec. exceptio non numeratæ pecuniæ, quam factam creditor probare debet, opponi, §. un. Inst. de lit. obl. l. 14. C. d. t. quæ, elapso biennio, debitori perpetua est arg: l. 4. 5. 6. ff. de dol. mal: exc. quod etiam Jus Hamb: probat p. 1. t. 24. Biennio etiam præscribitur

bitur actioni de dolo malo *l. 3. l. ult. ff. de dol. mal. Stat. Hamb. d. t. 21. art. 2.* cum regulariter restitutioni in integrum quadriennio præscribatur *l. fin. C. de temp. restit. Bachov. ad Treutl. V. I. D. II. th. 3.*

58. Quinquennio præscribitur Querele inofficiosi *l. pen. §. 3. C. de inoff. test.* sed actioni ad supplementum longissimo tempore *l. 30. C. de inoff. test. junctâ l. 3. C. d. præscr. 30. an.* Item adulterii, *l. 31. ff. l. 5. C. ad L. Jul. de adult. & peculatus accusatio quinquennio, l. 7. ff. ad L. Jul. pecul. reliqua crimina regulariter vicennio tolluntur l. 12. C. ad L. Corn. de fals. Carpz. in Jurispr. Crim. p. 3. Q. 141. n. 6. & seqq. annot. ad C. I. A. de accus. n. 27.*

59. Longissimi temporis præscriptio dicitur 30. vel 40. annorū, *t. t. C. de præscr. 30. an.* siquidē triginta annis præscribitur actionib9 civilib9, personalib9, quæ olim erant perpetuæ, & mixtis, & quidem his, propter personales præstationes *l. 3. C. d. t. l. 1. C. de an. exc.* Ceterum quod in *l. 7. d. t.* dicitur, actioni hypothecariæ 40. annis præscribi, id non intelligendum est de illo casu, si creditor agat contra extraneum possessore, quia hujus bona fides etiam longi temporis præscriptionem tribuit: sed si agat contra debitorem, ejusve heredem, vel contra posteriorem creditorem, debitore superstite *d. l. 3. l. 7. d. t. l. 1. 2. C. si adv. cred. Pac. in An. C. ad dd. tit. Cujac. de div. temp. præscr. c. 31.*

60. Præscriptionem centum annorum, eandem esse cum præscriptione immemorialis temporis, mihi non persuadeo, licet id vulgò statuatur, uti ex *Klockio* refert *C. I. A. de divers. temp. n. 43.* quoniam illa est temporis finiti, hæc autem indefiniti *R. I. d. an. 1548. §. 56.* Illa autem obtinet, quando usufructus est Universitati relictus *l. 56. ff. de usufr. l. 8. ff. de usufr. leg.* An idem tempus Ecclesiæ Rom: tribuatur, *Auth: quas actiones C. de sacros. Eccl:* non satis probat, quia Irnerii errorem ostendit, si cum *Novell: 131. c. 6.* conferatur *Wiesenh. in err. Inst. ad d. Auth.*

61.

61. Qvæ de tempore diximus, sic satis rectè se habent, modò id sit continuum, i. e. sine ullâ interruptione, validum. Spectatur autem continuatio possessionis non tantùm in ipso acqvirente, sed & ejus herede, vel successore. Ille, de jure Civili, etiamsi malam fidem habeat, potest usucapere, modò defunctus justè possederit §. 7. *Inst. h. t.* qvia heres eandem defuncti personam sustinet, *l. 22. d. t. l. 62. de R. I.* ejusq; virtutum, simul & vitiorum successor est *l. 11. §. 2. de publ. act.* Hic utitur accessione demum prioris, si & ipse bonâ fide possidere incipiat *l. 13. §. 1. ff. de A. P.* Nec illi vitium autoris vel prodest, vel nocet. Non prodest, qvòd attinet temporis accessionem, neqve nocet, h. e. non impedit usucapionem, qvia vitium personale alteri nocere non debet *l. 5. ff. de divers. temp. præscr.*

62. Hinc nullum est dubium, qvin successor particularis, in re à defuncto malâ fide possessâ, sibi autem bonâ fide traditâ, usucapionem inchoare possit & perficere *d. l. 5. l. un. C. de usuc. transf. l. 4. §. 27. de dol. exc.* Juris verò successoribus antecessoris vitia nocent, licet accessione uti nolint *l. 11. de divers. tempor. præscr. l. 11. C. de A. P.*

63. Præterea successor rei potest continuare prioris possessionem, etiamsi aliquando cognovit rem esse alienâ. Sufficit enim initio adfuisse bonam fidem *l. 13. §. 1. §. ult. ff. de A. P. l. un. C. de usuc. transf. vers. hoc tantummodo.*

64. Qvonia itaq; usucapio dominium, hoc autem jus in re, ex qvo vindicatio, & Rei vindicatio fluit, tribuit: hinc, qvi rem legitimè usucepit, dominio rei amisso, habet Rei vindicationem, dominis competentem §. 1. *Inst. de act. adversus qvemlibet possessorem, etiam pristinum dominũ l. 8. C. de præscr. 30. an.*

65. Cum dictâ civili actione maximam habet cognitionem, actio Prætoriana, qvæ ab autore Publiciana dicitur, qvâ

quã rem, non vitiosam, ex justã causã, bonãq; fide tradi-
tam, & nondum usucapram, à possessore, excepto domi-
no, repetimus §. 4. *Inst. de act. vid. Schnob: D. 5. th. ult.*

66. Insuper huic novo domino exceptio quoq; tri-
buitur, quã in specie dicitur præscriptio temporalis. Cui
enim actio datur, eidem ter magè exceptionem compete-
re dicimus, per *l. 156. ff. de R. I. quã, adversus agentem mu-
nitus, actionem excludit l. 2. ff. de except. adeòq; huc con-
fert dicere, de præscriptione, quã species est exceptionis, ex
diuturni temporis silentio procedens. Ast, uti Usucapien-
ti, jure antiqvo, dabatur directã actio, ita, deficiente civili
usucapione, præscribenti dabatur, si reliqua paria, utilis *l. 10.
ff. si serv. vind: l. 13. §. 1. de Jurej. l. 30. ff. h. t. quia aliàs posses-
sor, cui justã exceptio competiit, non potuisset jus, vel rem,
à tertio occupatam, repetere.**

67. Ultimo dispiciamus usucapionis & præscriptio-
nis contraria; quã in tria genera deducit *Obrecht D. 26: th.
369.* quorũ alia nativitatem usucapionis & ortum impedire:
alia jam natã progressum & incrementũ sistere: alia deniq;
eam planè resolvere, tradit. Ad primam classẽ refert (1)
ætatem impuberum, quia hæc facit, ne usucapio incipere,
minus procedere possit *l. 48. ff. d. A. R. D. l. 10. quemodm.
serv. am. (2) formã omissionẽ. Et huc pertinent injustitia,
seu nullitas tituli, mala fides, injusta possessio, & reliqua,
quã in formam usucapionis impingunt. *Wesemb. h. t. n. 14.*
Sistitur (2) usucapionis progressus, quando medium tem-
pus interiicitur, quo quidem usucapio & præscriptio in-
choata non currit, interim tamen tempus illud possessio-
nis inchoatã non plane est nullius momenti, sed, sublato
impedimento, continuatur, & prius tempus posteriori con-
jungitur ad usucapionem perficiendam. Et hoc casu dicitur
dormire præscriptio. Sic cessat & dormit adversus ec-
clesi-*

clesiam, quandò vacat, aut caret Rectore, aut habet illum; sed inutilem ad agendum, forte ex communicatū, suspensū, captivū, aut quovis alio modo impeditum ac impotentem *c. 1. 15. de præscr. Leonh: Lesß: l. 2. c. 6. D. 16.* Idem obtinet in præscriptione adversus Imperatorem, tempore, quo Imperium vacat; & ad versus regni coronam, tempore, quo regnum vacat. Tempore etiam schismatis dormit præscriptio adversus Ecclesiam Romanam *Molin: de Just: & Jur. D. 78. n. 7.* Dormit itidem præscriptio hostilitatis tempore *c. 10. de præscr.* Tempore pestis, præsertim, si eâ de causâ jus in eo loco non reddatur *Molin: d. l. n. 9.* & propter similes casus, agendi facultatem impediētes. (3) Resolvunt & interrumpunt usucapionem Usurpatio *l. 2. ff. h. 1.* & in integrum restitutio, quæ & minori datur *l. un. C. si adv. usuc. & majori, ex justâ sc. et probabili causâ l. 1. §. 1. ff. ex quib. caus: maj. §. 5. Inst. d. act.* attamen ex simplici ignorantia restitutio contra usucapionem vel præscriptionem impletam non datur, quia alias ipse effectus legitimæ possessionis subverteretur, *l. ult. C. d. præsc. long. temp. l. 30. C. d. præsc. 30. ann. Schnob. D. 4. th. 25.* quod etiam jure saxon. Elect. ita constitutum est *p. 2. Const. 9. ubi Carpz.*

68. Non modica inter civilis prudentiæ peritos Quæstio est, an per Novissimum Imperii Recept: §. 172. ibi: *So viel nun die Capitalia anlanget / sollen erstlich dieselbe ei nem jeden Creditori unversehret und ohne einige Abkürzung richtig verbleiben / und hierwieder keine præscriptio oder Verjährung / wegen der / bey wehrenden Krieg unterlassene Forzderung der Zinsen oder Capital angezogen werden. Præscriptio ita sit sublata, ut hodiernum etiam longissimi temporis exceptio, non possit opponi? quod utiq; negamus; quoniam ipsa pragmaticæ ejus sanctionis verba indicant, illam ad præteritam belli calamitatem, & quæ per illam in-*
termissa

termiffa eft, debiti denunciatio, & exactio, eſſe trahendam, adeoq; præteriti, non autem futuri temporis præſcriptionem limitavit; præcipuè cum nullibi pareat, per illam omne præſcriptionis præſidium eſſe ſublatum. Cum autem communi jure ex antè obtinuerit, quod tempore belli, quando vel judicia ceſſant, vel homines diffugiunt, aut bona ſua in loca tutiora deferunt, dicatur dormire, adeoq; non obefſe præſcriptio, ceſſante itaq; illà cauſà ceſſabit etiã effectus *Leonb: Leſſ: d. l. Dub: 16.* Et poſt illa, à Pace Imperii concluſâ, annorum ſpatia præſinita, ſatis longum tempus creditoribus eſt conceſſum de jure ſuo vigilandi, quia vigilantibus jura ſunt ſcripta *l. 24. ff. quæ in fr. cred.*

69. Reſtat, ut prioribus quædam adhuc ſubjiciamus de Uſurpatione, quã nihil magis uſucapioni obſtat. Hæc vox, uti Oratoribus pro frequenti uſu eſt, *l. 2. ff. h. t.* ita ſc̄tis continuatum poſſeſſoris uſum turbat *Cujac. ad l. 2. d.* Eſt autem uſurpatione vel naturalis, vel civilis. Naturaliter per hanc interrumpitur poſſeſſio, quando illa aliquo naturali factò, & reapse intervertitur, cum ſcil. incipit aliquid deefſe, quod aliàs ad naturam ſeu eſſentiam præſcriptionis requiritur. *Leſſ: d. l. ut.* quãdo alicui res mobilis eripitur, vel quis de poſſeſſione rei immobilis vi dejicitur *l. 5. h. t. l. 3. §. 13. 17. 18. l. 15. l. 30. §. 3: d. A. P.* vel interrumpitur civiliter, per fictionem juris, quando quidem ipſa poſſeſſio non aufertur, jus tamen poſſidendi, per actum aliquem civilem, in dubium vocatur *C. A. ff. h. t. n. 4. m. 2.*

70. Ceterum de jure civili per L. C. vel alium civilem modum uſucapionem poſſe interrumpi, vix ſtatuumdum eſt; quoniam bona fides tantum poſſidenti neceſſaria eſt in initio *l. 2. §. ult. pro emt. l. 2. pro donat. l. 18. d. R. V. Giphon. ad l. un. C. d. uſuc. transf. C. A. d. l.* In præſcriptione autem illa civilis interruptio ſe ſatis rectè haber *l. 10. C. d. A. P. l. 10. C. d. long. temp. poſſ.* Hodiè tamen etiam per ex-

tra-

trajudicalem denunciationem usucapionem posse civili-
ter interrumpi, ex *l. 7. C. de præscr. 30. an. l. 2. C. de ann.
exc. Dd. colligunt. Quod stylo curiæ & locorum statu-
tis receptum est, vid. Stat. Hamb: p. 1. tit. 21. art. 2.*

71. Præscriptio interrupta, quæ principalem, non
statim censetur interrupta, quæ fidejussores: & quæ vide-
tur interrupta, quæ unum actum, non intelligitur inter-
rupta, quæ alium actum *Covarr. p. 2. c. possessor §. 12. n. 8.*
Nec præscriptio interrupta, quæ unum coheredem, cete-
ris non citatis coheredibus nocere potest *Gl. in l. 1. C. d. præscr.
long. temp.* Quod præprimis de interruptione civili
verum est, quia actus judiciales non operantur ultra perso-
nas in judicio disceptantes *t. t. C. res int. al. act. Et tit. C. quib.
res. jud. non noc.* Nam si naturalis fuerit interruptio, illa,
circa unam personam facta, omnibus nocet, & proinde non
ei tantum utilis est, qui eripit, sed etiam omnibus. Et ita ar-
ticulum adversus omnes in *l. 5. ff. h. t. pro secundum om-
nes accipi debere Cujacius ibidem docet, & simili sensu leg.
1. d. jur. fise.* adducit, quod ibi adversus legem idem sit, quod
secundum leges. Sed præscriptio semel interrupta non pot-
est amplius restitui, seu in pristinum statum deduci, uti est
communis *Dd. opinio Covarr. d. l. n. 6.* adeoque si cum novâ
possessione bona fides super venerit, incipit ex integro no-
va usucapio & præscriptio *Card. Tusch, Pract. Concl. voce præ-
scriptio concl. 580.*

72. Vicina præscriptioni est consuetudo, seu jus,
quod tacitus consensus populi, non tantum per actus ju-
diciales, sed etiam extra judiciales, approbavit, *l. 32. 38.
ff. de LL. & quidem tanto cum effectu, quod, quamvis
legem non possit vincere l. 2. C. quæ sit long. possit tamen
antecedentem tollere, & ita legi, dummodo rationabilis
sit, longo tempore, & moribus usu utentium comproba-
tis, præscribere c. fin. X. de Consuet. l. 3. C. d. t. Less: d. l. Dub. 14.*

SOLI DEO LAUS ET GLORIA!

In gratiam & honorem Clarissimi

DN. CHRISTOPH: Wiegels /

Auctoris hujus differtationis solertissimi, amici
& domestici sui svavisissimi

Lmq; deproperabat

PRÆSES.

DEScribis doctè, quæ sit possessio longa,
& quod jus domino tribuat prolixior
usus,

vel quod præsiidiũ præstet præscriptio ju-
Egregiũ factũ, cepisse fideliter usu sta.

Dogmata prudentum, & Sacrata volumi-
na Divũm:

Nec minũs egregiũ, patrias cõjungere leges,
& simul in Cathedrã, duros dissolvere no-

Hæc tu solerti præstas vigiliq; labore, (dos.
omnib9 ut signes quæ scis compèdia Legũ.

Gratulor ex animo, nec non his ausibus
opto;

conferat ut studiis dignas præscriptio lau-
des,

præmiaq; ex merito dulcis tibi patria sol-
vat.

* * *
* * *

Publicus è Cathēdrā, quæ sit **PRÆSCRIPTIO**, di-
Aut **USUCAPIO** quæ sit, **AMICE**, doces. (cis;
Non caret iste suo labor omine; Credo profecto,
Hoc tibi suggestum cælitus esse Thema.
Cui **PRÆSCRIPTA** fuit virtutis Regula dudum,
Cur genus hoc **STUDII** non sibi ritè legat?
Dein, cui **CAPTA** diu Doctrina fideliter **USU**,
Illenē Materiem verset & ornet eam?
PRÆSCRIBAT quæcunqve velit sibi fortean **Alter**;
Quæ **PRÆSCRIPTA TIBI** sunt, mihi sola pla-
cent,
Alter itēmq; sibi **CAPIAT**, quod rideat, **USU**;
USU CEPISTI nescia Tute mori,
Hæc titulo quæ sita bono, justeq; retenta,
Nemo vel invideat, vel neget esse tua.
Hæc Bona per patriam si fors diffuderis **Urbem**,
Quem tibi **PRÆSCRIBAS**, jure sequetur **Honos**.
Hanc sibi mercedem tua tum **PRÆSCRIPTIO**
poscet;
IPSA suum pulchrè sic decorabit opus.

Nobiliss. Politissimog, DN. Wiegels/

AMICISSIMO suo,

de

PRÆSCRIPTIONIBUS publicitùs disputanti,


LMg, scrib.

H. Dringenberg / Hebr. Ling. &

Catech: Sacrae Prof. Publ. Facult.

Philosoph. SÈNIOR.





In gratiam & honorem

DN. CHRISTOPH

Auctoris hujus differtationis
& domestici sui svav

Lmq; deproperab

PRÆSES

DESCRIBIS doctè, quæ sit
& quod jus domino tr

vel quod præsidium præstet
Egregium factum, cepisse fidel
Dogmata prudentum, & S

Nec minus egregium, patrias
& simul in Cathedrâ, duro
Hæc tu solerti præstas vigili
omnibus ut signes quæ scis c
Gratulor ex animo, nec n

conferat ut studiis dignas p

præmiaq; ex merito dulcis

* * *

gers /

, amici

longa,
olixior
usus,

otio ju-
sta,
olumi-
n:

e leges,
ere no-
e, (dos.
a Legum.

usibus
io lau-

ria sol-

